

servatur libertas, alias tollerent ipsi libertatem, sed ultra hoc dicunt debere videri in hoc objecto conditionato determinatum concursum sine quo determinatus actus videri non potest, nec enim cum determinato actu uterque concursus, qui est ad utramque partem oppositam identificari potest, sed alter tantum, et ille debet videri a Deo et præsupponi ut videat determinatum actum, qui determinate futurus est tali conditione posita, eo quod est influens ex parte Dei in actum, ergo est conditio præsupposita. Et hoc admissio curret contra hunc sensum argumentum statim ponendum contra hos secundos auctores. Si autem solum primo modo intelligant requiri et intervenire in objecto conditionato viso per scientiam mediam solum concursum Dei indifferentem, et ad utramque partem oblatum cum exclusione omnimoda determinati concursus ad unam partem, hoc omnino stare non potest; licet enim omnino debeat concursus Dei salvare, imo et causare tamquam prima causa modum libertatis nostræ, non tamen debet dari cum indeterminatione et suspensione, et per causam creatam determinari, quia indeterminationo nascitur ex potentialitate, et imperfectione, concursus autem divinus debet esse perfectior, et actualior, et perficere atque determinare potentialitatem causæ creatæ, de quo alibi latius dicemus. Sed ulterius probatur non posse subsistere hunc modum dicendi; tum quia in concursu indifferenti, et suspensivo seu indeterminato nulla connexio est magis cum consensu, quam cum dissensu, ergo licet talis indifferentia conducat ad hoc ut ille consensus videatur ut liber, non tamen, ut videatur determinatio voluntatis ad consensum potius quam ad dissensum, nisi etiam videatur determinatus ille concursus simulta-

neus: qui cum consensu concurrat potius quam cum dissensu. Et in hoc stat hallucinatio hujus sententiæ, quod attendit solum ad id quod requiritur ad rationem liberi in consensu, non autem ad id quod requiritur ut determinate consensus sit potius quam dissensus, hoc enim non potest in re procedere ab utroque concursu oblato voluntati, quia est ad consensum et dissensum, sed ab altero tantum, nempe ab illo qui est ad consensum, ergo sic debet præ alio videri in illo objecto conditionato si determinate videtur consensus futurus sub conditione potius quam dissensus. Tum, quia ut consensus sub conditione videatur futurus determinate, debent videri omnes causæ, sine quibus non procedet in re, posita illa conditione, si quidem sub statu conditionato, ita debet videri determinate futurus, quod solum desit purificatio conditionis ut transeat in statum absolutum, in statu autem absoluto non potest videri ille consensus nisi videatur ut de facto procedens per concursum simultaneum, qui datur ad assensum, et non per illum, qui datur ad dissensum, quia hic non est per quem de facto procedit, sed solum offertur antecedenter, ut posset aliter non procedere: ergo ut in statu conditionato videatur determinate, et de facto processurus si purificetur conditio, debet videri ille concursus per quem procedet, et cum quo habet commensurationem consensus, ille autem concursus, qui est ad dissensum solum videbitur oblatus voluntati, ut constet libere procedere, et potuisse alterum non procedere. Et præsertim hoc urget, quia concursus concomitans ad consensum non est distinctus ab ipsa operatione qua causa secunda influit in actum suum; sed in objecto scientiæ conditionatæ necessario relucere debet cognitio

determinati influxus voluntatis creatæ, alias nunquam determinatus ipse consensus videri poterit, si influxus ipse quo parturitur et egreditur a potentia non videatur, ergo et concursus determinatus Dei videri debet, hoc enim non viso impossibile est videre determinatum consensum, quia nondum videtur aliquid a quo per se dependet, et cum quo identificatur, sine quo determinatus esse non potest. Ergo determinatus concursus, et non solum indifferens involvi debet in objecto conditionato ex parte conditionis, seu tamquam quid prærequiritum ex Deo procedens, et ex parte objecti se tenens, ergo antecedenter ad cognitionem, et non subsequenter, quia objectum antecedit.

XXXVI. Contra eundem autem modum dicendi, probatur quod a talibus auctoribus objectum scientiæ mediæ non adstruitur, sed destruitur, et scientia media in necessariam, imo in inutilem relegatur, sive videatur concursus indifferens, et cum indifferentia oblatus, sive nondum modo videatur ex parte conditionis determinatus concursus, quo de facto procedit ille determinatus actus. Id ostendo sic: duplici modo componunt hi auctores objectum scientiæ mediæ. Primo, aliqui cum Vazquez hic disputatione LXVII, c. IV, sic: Si vocavero Petrum, et cum illo concurrero (totum hoc conditionate etiam ex parte Dei) in tali occasione consentiet. Secundo, alii cum Arrubal disp. XLVII, c. III, num. VIII et X, sic: Si vocavero Petrum cum illo concurram, et ille consentiet. Sola differentia est, quod primi ponunt concursum seu decretum conditionatum Dei ex parte antecedentis, posteriores ex parte consequentis. Utrique dissolvunt scientiam mediam. Contra primos probatur. Illud objectum est omnino necessarium: ergo destruit scientiam

mediam. Consequentia probatione non eget apud defensores scientiæ mediæ, quia ponitur versari circa objecta libera, ergo circa necessaria vacat. Antecedens probatur. Illa propositio seu consequentia reducta ad absolutum statum est necessaria; concurrat Deus cum Petro ad consensum, ergo consentit; ergo posita in statu conditionato erit conditionalis necessaria, sicut si ista consequentia est necessaria: Sol lucet, ergo dies est, conditionalis constans ex eisdem terminis: Si sol lucet dies est, necessaria erit, nec indigebit scientia media. Antecedens autem scilicet quod illa consequentia prima est necessaria, Deus concurrat cum Petro ad consensum, ergo consentit, nullatenus negari potest, per locum a coexistentibus vel potius ab identicis, concursus enim ille est simultaneus cum consensu, et cum illo simul influens, vel potius identificatur cum illo. Ergo sensus consequentiæ est, simul cum consensu Petri est concursus Dei, ergo consensus Petri est; datur concursus identificatus cum consensu Petri, ergo datur Petri consensus. Quid tam necessarium? Ergo et objectum scientiæ mediæ erit: Si vocavero Petrum et habuero concursum identificatum vel simul existentem cum ejus consensu, dabitur ejus consensus. Quid tam inutile? Ergo scientiam sic tribuimus Deo quam vel pueri habent, quæ ad simplicem necessariamque scientiam spectat.

XXXVII. Confirmatur et explicio hoc: si ponatur objectum scientiæ mediæ per solam et nudam conditionem, v.g. Si vocavero Petrum tali occasione, consentiet, dicunt hi auctores ex hoc præcise non potest haberi omnimoda, et certa notitia illius consensus, quia posset Deus suspendere concursum suum, et sic consensus non sequetur, atque

adeo ut prævideatur secutus ex sola penetratione illius conditionis et veritatis in se, cum non sit ens a se, sed creatum, et dependens a causa prima, debet necessario Deus addere ad illam conditionem, sui concursus simultanei decretum sub conditione cognitum, et nondum de facto habitum, et dicere: Si vocavero, et non subtraxero, sed dedero concursum, consentiet; nec sufficit videre concursum indifferentem, et neque connexum cum consensu, neque cum dissensu, quia ibi nulla intervenit connexio, ut magis videatur futurus consensus, quam dissensus. Videte ergo, quam aspero telorum imbre, et quanto circumfunditur scientia media. Si objectum ejus est sola conditio et effectus secutus, v. g. Si vocavero consentiet, et non admittitur in illo objecto decretum conditionatum de concursu simultaneo, non potest Deus iudicio certo dicere, quod consentiet, quia adhuc est impedibilis ille consensus si Deus nolit concurrere, et sic in manu ejus est non minus reddere casum objectum scientiæ mediæ, quam in manu libertatis humanæ quæ poterat oppositum velle. Debet ergo Deus videre decretum suum de concurrente, ut videat certo secuturum consensum, alias videret actum liberum creatum futurum non videndo dependentiam ejus a causa prima quod est prorsus impossibile, nec oppositi auctores id admittunt. Si autem videat concursum suum et decretum de illo, faciet hunc sensum: Si vocavero in tali occasione, et concurrerem simultanee cum illa voluntate ad consensum, consentiet Petrus. Hoc jam ad necessarium objectum pertinet, et excedit metas scientiæ mediæ, est enim simplicis intelligentiæ. Si autem videat Deus non decretum de concurrente, sed solum de offerendo duplicem concursum voluntati, ut ipsa eligat, et

determinet (quod est decretum de concursu indifferenti) currit argumentum supra factum, quia cum tali oblatione indifferenti non magis habet connexionem consensus, quam dissensus, vel suspensio utriusque, ergo toto hoc posito non videt Deus determinationem consensus, quia nondum videt determinatas omnes causas a quibus pendet talis consensus, ergo multo minus videbit quomodo se determinat voluntas creata, si non videt quomodo se determinat divina, a qua pendet determinatio creatæ, et oportebit quod videat illam determinari a se, et ex se determinare ipsum concursum Dei, non participative a Deo et a concursu determinato Dei, et contra hoc currunt omnes rationes, et inconvenientia supra tacta.

XXXVIII. Retorquebis argumentum. Ergo posito decreto quale ponunt Thomistæ ad cognoscenda objecta conditionata quod de facto ponitur ex parte Dei et conditionate ex parte objecti, etiam scientia illa erit necessaria, quia fiet eadem consequentia: Si Petrum vocavero, discerno quod efficaci, et prædeterminante concursu concurrat et sic consentiet: ubi major infertur necessitas, quam in illo alio decreto supra relato, ergo frustra hanc scientiam reducimus ad liberam, sicut alii auctores ad mediam. Confirmatur, quia illa conditionalis: Si concurrerem consentiet, sine qua dicitur non esse certam scientiam mediam, etiam requiretur pro conditionatis agentium naturalium, atque adeo ista conditionalis non erit certa apud Deum: Si sol orietur dies erit, quia potest Deus suspendere suum concursum ne luceat et diem efficiat, et similiter: Si ignis applicabitur, comburet, quod utique sine concursu Dei non faciet, et tamen istæ conditionales certo cognoscuntur a Deo per scientiam necessariam, ergo si-

gnum est illam conditionalem de concursu Dei non attendi in istis objectis conditionatis, sed sine illa formari, solum attendendo ad id quod futurum est quantum est ex meritis causæ creatæ, et supponendo concursum Dei, non illum in conditionem apponendo.

XXXIX. Respondetur hoc argumentum infra a nobis latius solvitur articulo sequenti ad tertium, ubi videri potest. Interim dicimus, negandam esse consequentiam argumenti. Et redditur disparitas inter nostram sententiam, et oppositum in componendo seu formando objecto conditionato quod nos dicimus pertinere ad scientiam liberam ut pote fundatam in decreto Dei, alii vero dicunt pertinere ad scientiam mediam, id est, non fundatam in decreto Dei, sed necessariam ex parte ipsius. Nos enim non ponimus pro objecto hujus scientiæ nisi tantum effectum seu actum futurum cum conditione sub qua objectum fit conditionatum, ipsum vero concursum Dei, sive simultaneum, sive prædeterminativum, vel etiam decretum Dei efficax quo vult non solum sequi talem actum, sed sequi cum sua libertate, non ponimus pro conditione, neque ex parte objecti conditionati, sed pro fundamento seu ratione formali qua Deus utitur ut in eo cognoscat infallibiliter illud objectum conditionatum, verbi gratia, in illo conditionato objecto, si Tyriis Christus prædicaret, converterentur, id quod habet rationem objecti per modum effectus solum est conversio, conditio autem prædicatio Christi, et ex his duobus integratur objectum illud conditionatum quod est contingens, decretum vero Dei efficax et prædefinens, et concurrrens, et concursus ipse, non ponitur neque pro conditione, neque pro objecto, sed pro medio et ratione formali cognoscendi illud conditiona-

tum contingens. Quod si poneretur pro conditione et formaretur sic conditionatum objectum: Si ego decrevero efficaciter prædeterminare Tyrios, illi libere convertentur (quia ad liberum actum determinantur) pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ tota illa consequentia, et objectum redditur omnino necessarium, eo quod ibi tantum explicatur conditionatum per modum consequentiæ inferentis liberum actum, quæ ibi formalis et necessaria est, ut dicemus infra loco citato. Nunc vero ponendo solum pro conditione non decretum vel concursum Dei, sed aliquid aliud quod non fundat necessariam et formalem consequentiam cum effectu futuro (ut prædicatio evangelii cum conversione) objectum illud non habet vim consequentiæ infallibilis, sed conditionalis contingentis, cognoscitur tamen a Deo infallibiliter utendo decreto suo ut medio cognoscendi, non ut conditione, quasi dicat: Si prædicavero convertentur Tyrii, quia volo tunc aliis dare efficaciam unde convertantur. At vero oppositi auctores, cum affirmant Deum non cognoscere hæc futura conditionata in decreto suo libero tamquam in medio et ratione formali seu fundamento talis cognitionis, oportet quod ipsum Dei concursum et decretum conditionatum concurrenti reducant et ponant ex parte objecti conditionati, quia sine ipso non est infallibiliter cognoscibilis in se, ut ostensum est; isti autem auctores dicunt Deum cognoscere veritates istas in se ipsis. Ponendo autem concursum vel decretum Dei determinatum ex parte conditionis et objecti redditur veritas necessaria, atque adeo non per scientiam mediam cognoscibilis.

Ad confirmationem respondetur quod etiam pro cognoscendis effectibus causarum naturalium sub con-

ditione quando ex vi conditionis infertur quod fiet, ut si dicas: Si ignis applicetur ligno, comburet, si sol oriatur, lucebit, et similibus in quibus consequens illatum importat actionem vel existentiam a Deo impedibilem per suspensionem concursus, supponi debet decretum Dei concurrendo tamquam formalis ratio in qua id cognoscitur, licet quia hoc decretum stabilitum est a Deo lege ordinaria, tamquam quid necessarium modo naturali præsupponatur. In rebus autem liberis, quia non est debitum ex lege, quod Deus semper uno modo concurrat sed potius diverso juxta contingentiam et libertatem voluntatis, ideo magis indiget decreto ad cognoscendum determinate quid fiet. Aliquando tamen conditionales quæ fiunt in rebus naturalibus non importat in consequente aliquid operationis vel existentiae novæ, sed solam sequelam unius ex alio, ut si sol lucet dies est, si homo est rationalis est risibilis, et tunc non est necesse uti decreto, sed tales conditionales pertinent ad scientiam simplicis intelligentiæ.

XL. Denique, probatur contra aliam explicationem supra relatam nostra sententia, quia incidit hæc secunda explicatio in majus inconveniens pro ea parte qua ponit Deum sub illa conditione videre quod ipse si vocaverit Petrum concurreret simul cum illo, et consentiet. Nam vel Deus cognoscit quod ipse concurreret in illa occasione cum voluntate humana prævidendo ante adhibitionem sui concursus conditionatam voluntatis humanæ determinationem, vel non prævidendo. Si prævidendo, ergo ante suum concursum conditionate prævisum videt Deus quid determinate volitura est creata libertas, et sic frustra laborat hæc sententia in ponendo concursu Dei præviso ut consensus hu-

manus prævideatur; si quidem ante illum etiam conditionate positum jam prævidetur, quod est destrui hanc solutionem. Si non prævidendo humanæ voluntatis concursum, Deus adhibet suum vel se adhibiturum prævidet, ergo vel temere, et fortuito conjungitur cum humana libertate ad simul eliciendum consensum, et exponit se periculo, quod frustretur ille concursus Dei, et tota ejus scientia; vel tenebitur Deus sua potentia subicere sibi voluntatem creatam et obligare illam ut velit quod ipse vult, et hoc erit ponere prædeterminationem, quam ita abominantur oppositi auctores et dicunt illam necessitare voluntatem. Si autem Deus non sic movet, et subicit sibi voluntatem, manifeste se exponit periculo frustrandi scientiam suam, et concursum, et fortuito, et a casu procedit: quando enim duæ causæ liberæ, quarum una non subicit et subordinat aliam, concurrunt, nisi una præsciat quid altera factura sit, casu procedit et fortuito in conjungendo se illi, et cum periculo frustrationis, si altera nolit. Ergo si Deus dicit: Concurram cum hac voluntate si in tali occasione vocavero, et ipsa simul concurret mecum et consentiet, et non prævidet an illa concurret, nec habet modum quo illam sibi subiciat, et subordinet ut de facto velit, periculo se exponit, ut si altera nolit, nihil fiat, vel fortuito et a casu accidet, quod illa voluntas velit id quod Deus vult.

ARTICULUS V.

Convelluntur fundamenta scientiæ medicæ.

I. Magno sumptu adstructa est scientia media a suis auctoribus consumendo laborem in probatione ejus rei, quam nos non negamus,

scilicet ostendendo Deum futura ista non ignorare, ad quod grandem cumulum auctoritatum Scripturæ, patrum, et rationum exaggerant. Sed irrito conatu, et majori sonitu periculo fulminatum est. Non in hoc punctus difficultatis consistit, nec in his terminis agitur quæstio, nec coram summo pontifice de hoc controversum est. Non est difficultas de cognitione ipsa horum futurorum, sed de modo, an cognoscantur ante omne decretum Dei liberum vel post, et in ipso modo cognoscendi illa, totus scientiæ mediæ sensus deputatur. Id enim requirunt auctores ejus ad componendum libertatem nostram cum infallibilitate decretorum Dei, ut ante omne decretum prævideatur quid libertas nostra factura est, ut superveniens decretum non libertatem trahat, et determinet, sed illi obsecundet. Quare argumenta quæ ad probandum cognitionem horum futurorum deducuntur, omittimus, quia illam admittimus, ut articulo secundo actum est.

II. Totum ergo argumentorum pondus contra necessitatem decreti librandum est. Et licet possemus multa adducere, quæ impugnant hoc decretum ex eo quod libertatem nostram labefactat, commodius ea adducemus in tractatu de voluntate Dei, ostendendo dari has prædefinitiones et decreta efficacia, non lædendo, sed juvando libertatem, quia nec Deus prædecernit quod faciamus quomodocumque, sed quod faciamus libere et utrumque causat efficacia decreti. Aliquid tamen etiam de hoc in argumentis adducendis hic attingemus.

AB AUCTORITATE ARGUMENTA.

III. Primo ergo objicitur argumentum ab auctoritate. Et auctori-

tas potissima sumitur ex illo vulgari testimonio Matth XII: *Si in Tyro: et Sidone factæ fuissent virtutes quæ in te factæ sunt, in cilicio et cinere pœnitentiam egissent*, adjuncta intelligentia ejus apud Sanctum Augustinum libro de bono preseverantiæ, capit. XIV. Et ponderatio hujus testimonii fit in hunc modum: Christus prævidit pœnitentiam Tyriorum, si apud eos prædicaret, quam dicit non fecisse Judæos tali prædicatione audita, et ob hoc reprehendit Judæos præ Tyriis, sed si illud conditionatum prævideret Deus ratione alicujus decreti habiti non posset juste reprehendere Judæos præ Tyriis, ergo necesse est quod ante omne decretum et independentem ab illo, prævideret Deus illam pœnitentiam. Minor in qua est difficultas probatur, quia si Deus prævideret Tyrios acturos pœnitentiam in vi decreti sui, hoc esset quia haberet voluntatem et decretum ut Tyrii audita prædicatione Christi converterentur dando illis efficacem prædeterminationem; quod decretum non habuit pro Judæis, nam si habuisset utique credidissent sicut Tyrii, si autem non haberet illud pro Tyriis, neque ipsi converterentur sicut Judæi, ergo nulla justæ reprehensionis ratio subsistebat. Patet consequentia, quia justa et prudens reprehensio esse non potest quæ supponit evidentem excusationem, est autem evidens excusatio, ubi non est æqualis comparatio, sed causa dispar, possent enim dicere Judæi, non esse mirum quod converterentur Tyrii si erga illos habebat Deus illud speciale decretum quod non habebat erga ipsos Judæos, si enim daret eis illud quod decreverat dare Tyriis cum sua prædicatione, etiam ipsi converterentur; sicut non posset conqueri aliquis dominus juste de uno famulo, quod non fecisset